

reperiri debeat in Æquinoctiali circulo, vt fiat Æquinoctium; Item in altero tropicorum, vt contingat Solstitium, non potuit huius diuersitatis alia causa afferri, præter motum trepidationis; Ad hunc enim solum motum consequitur anticipatio illa Æquinoctiorum, & Solstitiorum. Hoc autem motu omnes quoque globi septem planetarum mouentur, ita vt planeta, maxime vero Sol, concomitentur assidue Zodiacum octaua sphaeræ.

DE ORDINE SPHÆRARVM CÆLESTIVM

EX IIS, quæ de motibus cælorum dicta sunt, perspicuum relinquitur, cælos omnes vnum corpus continuum minime efficere, propterea quod celi varijs & diuersis motibus quodammodo oppositis, vt dictum est, feruntur; Nullum autem corpus contrarijs simul motibus ferri est aptum. Sunt igitur omnes cæli hætenus reperti concentrici cum mundo vniuerso, atque contigui inter se, ita vt inter quoslibet duos proximos orbis nihil sit intermedium, quod sit vel vacuum, vel corpus aliquod, sed prorsus immediate sese mutuo contingant; vt motus superioris orbis inferiori possit communicari. Neque vero valet argumentum, quod communiter afferri solet ad probandum, cælos non posse esse contiguos, hoc modo. Ducatur linea recta a centro mundi ad conuexum v. g. decimi cæli, sumaturque punctum, quo linea illa tangit, seu secat conuexum noni orbis, quod appelletur A; capiatur præterea punctum, quo eadem linea tangit, siue interfecat concauum decimæ sphaeræ, quod dicatur B. Si igitur conuexum nonæ sphaeræ est immediatum, & contiguum concauo decimæ, erunt duo puncta A, & B, in eadem linea existentia inter sese immediata, quod fieri nequit, vt patet ex Aristotele 6. phys. Non igitur decimum cælum immediatum esse potest nono cælo: similisque est ratio de reliquis sphaeris cælestibus. Non valet, inquam, hoc argumentum, quia vnum & idem punctum illius lineæ tangit conuexum noni cæli & concauum decimæ, quare illa duo puncta, quæ concipiuntur ibi, sunt vnum & idem punctum, quoniam se inuicem tangunt secundum se tota, cum non habeant partes, & idcirco in eodẽ existunt loco, si tamẽ punctum occupare loci dici potest. Sunt igitur illa duo puncta duo quidem ratione, vnum autẽ re ipsa, quoniam coincidunt, non secus ac si duæ lineæ coniungerentur per extrema

carum